

*Vergil's Aeneid I.441-465*

Lūcus in urbe fuit mediā, laetissimus umbra,  
quō primum iactātī undīs et turbine Poenī  
effōdēre locō signum, quod rēgia Iūnō  
mōnstrārat, caput ācris equī; sic nam fore bellō  
ēgregiam et facilem vīctū per saecula gentem. 445  
Hīc templum Iūnōnī ingēns Sīdōnia Dīdō  
condēbat, dōnīs opulentum et nūmine dīvae,  
aerea cui gradibus surgēbant līmina, nexaeque  
aere trabēs, foribus cardō strīdēbat aēnīs.  
Hōc primum in lūcō nova rēs oblāta timōrem 450  
lēniit, hīc primum Aenēās spērāre salūtem  
ausus, et adflīctīs melius cōnfidere rēbus.  
Namque sub ingentī lūstrat dum singula templō,  
rēgīnam opperiēns, dum, quae fortūna sit urbī,  
artificumque manūs inter sē operumque labōrem 455  
mīrātur, videt Īliacās ex ōrdīne pugnās,  
bellaque iam fāmā tōtum volgāta per orbem,  
Atrīdās, Priamumque, et saevum ambōbus Achillem.  
Cōnstitit, et lacrimāns, “Quis iam locus” inquit “Achātē,  
quae regiō in terrīs nostrī nōn plēna labōris? 460  
Ēn Priamus! Sunt hīc etiam sua praemia laudī;  
sunt lacrimae rērum et mentem mortālia tangunt.  
Solve metūs; feret haec aliquam tibi fāma salūtem.”  
Sīc ait, atque animum pictūrā pascit inānī,  
multa gemēns, largōque ūmectat flūmine vultum.